DE S. SPIRITVS ADVENTV ORATIO

HABITA IN BASILICA S. PETRI
AD SANCTISS. D. N.
PAVLVM V.
PONT. MAX.

A DIOMEDE MONTESPERELLO
SEMIN. ROMANI CONVIC.

IPSO PENTECOSTES DIE.



ROMÆ, Typis Iacobi Mascardi, MDCXX.
SVPERIORVM PERMISSV.

.15

ILLVSTRISS. PRINCIPI

SCIPIONI

CARD. BVRGHESIO.

DIOMEDES MONTESPERELLVS F.

FACIT hoc etiam magnitudo tua, Princeps Illustrissime, vt tibi non magna modo, sed exigua etiam ab omnibus deferantur: habes enim præcipuum illud ac singulare, vt quando infima æquè ac maxima tuæ commissa sunt curæ; tuæ quoque clientelæ æquè maxima committantur atque infima. Quamquam communi cum causa causam ipse coniunctam habeo peculiarem; cum mihi integrum

iam non ſit, aliud rebus meis patrocinium quærere, quam quod vel meorum mihi fortuna obtulit, vel facilitas tua; ab eo quippe recedere aliquando non poteſt, qui vel ſemel illud expertus ſit. Patere igitur, vt in luce iſta tua lucem aſpiciat mea hæc S. Spiritus laudatio, quæ alioquin præter argumentum, quod Diuino ab igne ſplendidum eſt; ac tuum iſtud nomen illuſtriſſimum, quod in fronte gerit; nihil habet, quod poſſit lucem aliquam promereri. Vale.



DE S. SPIRITVS ADVENTV.

ORATIO.



POSTOLICI natalem Regni hodierna recolimus luce, Beatiſſime Pater, qua diuinus ille Spiritus cælo delapſus, nouo terris illuxit igne, & repentino fragore inter fulgura minabundus, ſuper Apoſtolorum capita ſuauiſſimè conquieuit. qui enim noua facit omnia Deus, felici hodie fecit incendio cælum nouum, & terram nouam, eoſdem dum fecit Reges, quos iam fecerat Sacerdotes. quod quia triplici perfectum eſt ſigno, par eſt, vt per hæc tria mea omnis excurrat Oratio.

Apo.21.

Apo.5.

Et illapſu quidem ſuperni ignis innoxio regnum portendi, credula ſibi olim perſuaſit Antiquitas: quid ni mihi religioſius multo ac verius liceat affirmare, quotquot cæleſti hoc igne innocenter conflagrarunt, totidem eſſe

Liu. D.1.l.1.

Reges inauguratos: cum id ipſum multo ante præuiderint Vates oculatiſſimi, quorum alter
Pſ.44. Principes ſuper omnem terram conſtituendos
Iſa.49. prædixerat; alter lactentis Eccleſiæ nutricios fore prædicauerat Reges: vt quod Romano de
Cyneas. Senatu admirabundus ille iactabat, tot ſibi reges videri, quot in eo videret Senatores; poſſim ego in rem præſentem commodius vſurpare, fuiſſe omnes planè Reges, qui in eo fuere cœtu Apoſtolorum; cuius rei vt mihi argumenta deſint cetera, quæ ſuppetunt ſane plurima, vel illud admonet me, Reges fuiſſe primos illos Chriſtianæ Reipublicæ Conditores, quod eorum etiam in purpura regnare videamus hæredes. Neque verò defuit illis ad abſolutam regni inaugurationem vel inunctio ſacra, quam abundè præſtitit ille, cuius ipſum eſt
Cant.1. nomen Oleum effuſum; vel impoſitum capitibus diadema, quod egregiè diuinus Artifex
2. igneis finxit è linguis, aureis velut radijs in coronę ſpeciem circumfuſis; vel coccinea Chlamys aut Trabea, quę illis purpurei de ſplendore ignis lucem purpuræ traxit illuſtrius; vel exhibitus regij honoris cultus, quorum ad pedes affuſę ſuppliciter gentes procumbebant; vel deductiones honorariæ, quos ſequuta illo eodem
Act.2. die plura hominum millia accepimus; non

A deni-

denique ad augendam celebritatem festus de- fuit tubarum clangor, quibus ipsum læto mur- mure insonuit cælum; nec data populo defue- re congiaria, cum effusa liberalissimè dona sunt argento potiora atque auro, hoc est dona *Act. 3.* humano sine pretio pretiosa. Immo sanè non dubitauerim, quin Sanctissimis illis Proceri- bus perspectus abunde fuerit huiusmodi Prin- cipatus, cum eos videam, qui paullo ante timidi ac meticulosi domesticis sese tenebris occulta- uerant, vbi primum hoc exarsere igne, ilicet audentiores factos, publicam venisse in lu- cem, & palam se gessisse pro Regibus. Quid enim faciunt aliud, quam regem agere, dum accepto in homines imperio, hominibus re- *Act. 5.* nuunt obedire; dum terrarum inter se orbem diuidunt, & prouincias quibus cum vtilitate præsint sortiuntur; dum publicè priuatimque leges, & iura dicunt vniuersis; vno verbo dum commissa diuinitus ligandi soluendiq. potesta- *Matt. 16.* te longe amplissima, quæ vltra terrarum ter- minos ad cælum vsque protenditur, non mo- do in omnes liberè dominantur, sed nouo mo- re, in ipsos etiam habent imperium Reges? Decebat videlicet, eos qui nexu mirabili Re- gnum coniunxerant Sacerdotio, hoc est cæle- stis ignis artificio dissita, ac disiuncta sociaue- rant,

rant, tanto ceteris esse Regibus excellentiores, quanto humanis Diuina præstant, quanto prima inter corpora antecellit ignis.

Sed non tantum in igne Dominus, quo Reges demonstrauit Apostolos: in linguis etiam, & sono, quo demonstrauit & Sacerdotes. An non enim Sonus illis conuenit Spiritus vehe-

Ps.18. mentis, quorum in omnes terras exire debebat sonus; an non linguarum multiplicitas, quorum vel in finibus orbis terræ exaudiri verba debebant? Non sine fragore ac sonitu fulmina cadunt: nec poterat sonoro sine tonitru fulmen illud inauditæ eloquentiæ Apostolis dari, quo & altiora deprimerent, & dura conterererent, & frangerent obstinata. Victi-

Callistr. marum olim lingua præconibus tribuebatur, qui lingua fauere populum iuberent in sacris; an non par erat, vt linguæ diuinitus Apostolis tribuerentur, qui veræ Religionis futuri præcones, obstrepenti erant superstitioni silentium imposituri? Quod si fuisse Reges accepi-

Iustin. de Mithr. mus, qui populorum quibus imperarent complurium linguis loquerentur; decuit gentium omnium linguis illos loqui, qui omnes essent gentes salutari sapientia erudituri. Vt mirari iam desinam, cur Sanctissimi illi antiquæ Reli-

Exod.4. gionis Duces ac Vates, cum Deum in igne con-

spe-

ſpexiſſent, impeditioris facti ſint linguæ & inceperint balbutire; cum tamen Apoſtoli viſo hodie in igne Deo, ex elinguibus ac pene mutis, linguis ſubito omnibus eloquantur: Nimirum paucis illi erant ſacra euulgaturi arcana, quæ euulgaturi erant Apoſtoli vniuerſis: illi diuina poterant difficilè loqui, qui non dum loqui dedidiciſſent humana; at Apoſtoli, qui non tam Pythagorica quam Chriſtiana è diſciplina diu antea tacuerant, vt humana dediſcerent, diuina eloqui facilè atque expeditè potuere. Tandem ſi in extruenda ſuperba illa Babylonis mole, linguarum ex vna in plures factum diuortium viam ad impietatem omnem, & corruptelam aperuit; eadem planè debebant homines via, hoc eſt linguarum multiplicitate ad integritatem redire morum, & ſanctimoniæ, vt fieret è multis cor vnum & anima vna, quæ vna in poſterum lingua loqueretur. Quod qui negligunt, & conatu impio plura in membra diſcerpunt vnum Eccleſiæ corpus, quod vno vitæ Spiritu animatur; faciunt profecto quantum in ipſis eſt, vt diuiſum in ſe regnum diu incolume ſtare non poſſit: ſed diuino beneficio nihil efficiunt; fundatum enim Petri Regnum ſupra firmam Petram nullo vnquam eſt labefactandum impulſu, ſed æternùm ſta-

Gen.11.

Act.4.

Matt.16.

bit

*Heb.*12. bit immobile, eritque Supremum eiusdem Sa-
*Hebr.*7. cerdotium sempiternum. Quod vt certum at-
*Luc.*1. que indubitatum sit, quia promisit qui men-
tiri non potest Deus; datum est etiam hodie
pignus certissimum, dum visus est immortalis
hic Ignis ad stabilitatem Apostolis insidere;
*Exo.*19. quo ex igne custos Sacerdotalis imperij flam-
Flor. in Numa. ma perpetuo vigilabit. Dixi.

LAVS DEO.

